

www.e-rara.ch

Dialogorum Platonis argumenta

Tiedemann, Dieterich

Biponti, MDCCLXXXVI [1786]

ETH-Bibliothek Zürich

Shelf Mark: Rar 2796

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-32325>

Hippias.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

H I P P I A S.

CONGREDITUR in hoc dialogo cum Hippiâ Eliensi, minorum gentium Sophista, Socrates, reprimendaeque illius instantiae ergo, ne tueri quidem eum posse minoris momenti res, quaeque per se omnium sunt manifestissimae, eum convincit. Postquam de Homero multa Hippias disseruisset; tacentem hactenus Socratem Eudicus, ad faciendum de iis iudicium hortatus, esse, de quibus, ni molestum sit Hippiâe, percontari eum cupiat, responsum ab eo fert. Quo simul audito, omnibus sese interrogandi de quibuslibet rebus facere copiam, neminem hucusque, a quo superaretur, vidisse, gloriatur Hippias; felicemque eum praedicans Socrates, Achillesne an Ulysses melior sit ac praestantior secundum Homerum, quaerit. Hippias statim, Achillem, inquit, praestare; idque patere vel inde, quod Achilles sit simplex, Ulysses contra versutus ac mendax. Contra hoc ira Socrates argumentatur: mendaces ad efficiendum aliquid sunt apti; quaeque faciunt, non imprudentes, sed prudentes scientesque faciunt: sunt ergo prudentes; cumque scientes mentiantur, sunt etiam sapientes, & quidem ad mentiendum. Qui facultate aliqua ac potentia gaudet, facit, quod vult, quotiescunque vult, non ex morbo, aliave imbecillitate; idemque in ea ipsa, quam callet, re, est optimus, ac praestantissimus. Iam qui rem quamcunque probe callet, idem in eadem verum simul dicere & falsum quam maxime potest; imperitus namque dum cupit mentiri, per ignorantiam verum saepe dicere cogitur: idque te maxime scire par est, qui omnes tenere artes te profiteris, quin manu tua quaecunque geris, annulum, vestem, cingulum, reliqua, fabricasse te narras. Sequitur ergo, quicumque maxime potest vera dicere, eum summa quoque mentiendi gaudere facultate, siquidem quotiescunque lubuerit poterit mentiri,

proinde mendacem ac veracem esse eundem; tantumque abest, ut melior fuerit Achilles Ulyssæ, ut pares potius sint. Qua sola fuisset defensione utendum, quod ad scientiam ingeniique attinet vim, mendacem non differre a veraci, animi tamen habitu longe esse deteriore; hanc praetermittens Sophista, victoriam Socrati concedit, suamque in disputando imperitiam praebet ridendam. Quin ne quod excipit quidem, Achillem Homeri esse veracem, satis tuetur: cumque Socrates exempla quaedam de mendacis Achillis attulisset; prudentem quoque & scientem eum mentiri, ipsumque Ulyssæ mendacio fallere, patitur sibi extorqueri.

Quod autem maius est, qui sciens mentitur, iniuriam facit, aliaque peccat, eum praestare per ignorantiam aut errorem peccanti, ut fateatur, cogi se finit; quo ipso Ulyssæ Achillem esse etiam inferiorem efficiebatur. Hoc Socrates demonstrat ita: malus cursor est, qui tarde currit; qui sponte in cursu est tardus, praestat ei, qui nolens tarditatem adhibet: ergo qui sponte agit male, melior est eo, qui invitus perperam agit; verbo, in artibus quibuscunque melior semper est, qui volens, & viribus recte faciendi non destitutus, peccati quid admittit. Idem quoque de iustitia facile ostenditur: quae si facultas quaedam animi dicatur, maior sit in eo necesse est, qui ad utrumque, tam ad faciendam iniuriam, quam non faciendam, est aptus; sin scientia vocetur, iterum maiorem esse eius scientiam patet, qui utrumque novit: haec namque ratio superior evincit. Iam cum bonus vir sit, qui bonam habet animam, cumque sponte iniuriam facere ad bonam pertineat animam; nemo alius, quam vir bonus, sciens prudensque facit iniuriam; malus contra aut improbus, ex ignorantia est iniurius. Ad haec nihil Hippia aliud, quam concedere se ista non posse: cui lubens quidem Socrates accedit, neque enim & semet haec posse largiri; mirum tamen non esse, si imperitus ipse & rudis in absurda incidat; id vero miserum, quod ne ab Hippiae quidem similibus, sapientiam professis, ac ostent-

tantibus, errore possit liberari. Hinc, quam parum in Hippiâ fuerit solidioris philosophiæ, liquido cernitur, cum ne eos quidem nodos sciret solvere, qui nodorum vix numero sunt habendi. Maiori omnino scientia, & plurium rerum cognitione præditum esse necesse est, qui sciens mentiri, fallere, ac iniuriam valet inferre; præterea, ex eadem scientia, quæ quid verum sit docet, peti quoque certas a vero aberrandi regulas: nec tamen inde, qui sciens peccat, virum esse meliorem efficitur; cum non rerum cognitio aut scientia sola, sed animus rectus, virum bonum faciat. Si quis sciens prudensque alterum lædit, hoc inde est, quod facere, quod debebat, faciendumque sibi intelligebat, ob animi imbecillitatem, affectuumque vehementiam non potest; adeoque maior in hoc animi est infirmitas, quam in eo, qui inscius peccat: hic enim recte sese existimans agere, mente quidem & ingenio inferior est sponte peccante; at animo tamen recto firmoque, quod præcipue virum facit bonum, est omnino superior.

C R A T Y L U S.

EGREGIE in hoc dialogo de vocabulorum, linguarumque indole ac natura Plato philosophatur, fundamentaque eorum iacit omnium, quæ nostra demum memoria uberius a philosophis de linguarum origine sunt exposita. Colloquuntur inter se Hermogenes, Cratylus, & Socrates, quorum primus, nomina consuetudine sola valere; secundus, natura significationem accepisse; Socrates, mediam ingressus viam, tam consuetudine, quam natura, ad res denotandas esse aptata, contendit. Ante Platonem iam hac de re philosophi videntur quaesisse, cum ad Prodicum dissertationem provocet Socrates, cumque Cratylus fuisse Heracliti discipulus perhibeatur, indeque, a magistro eum quædam acce-